



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Fabarium vel Favarium, ..., Germanicè Pfeffers/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

*Quæ Christum & Christi matrem feruenter amabat,  
 Hæc secum sua dona ferens, placare studebat  
 Muneribus promptis cœli super astra sedentem,  
 Intemeratam illam & cœlesti ab origine natam  
 Cœlorum Dominam, matrem saluantis Jesu.  
 Ex his muneribus domus hæc est condita tota,  
 In qua Augustini superis nunc militat ordo  
 Canonicus, niuea gaudens candentemq; veste,  
 Quæ cum munditiem intemeratæ Virginis atq;  
 Christi cœlorum regis, tum denotat illam,  
 Qua debent omnes ornati hi scilicet esse,  
 Qui seruire volunt Christo ipsiusq; Parenti.*


**F**ABARIUM vel Favarium, aut, ut in Carolinis diploma-  
 matibus legitur, monasterium D. Virginis, Dei geni-  
 tricis, apud Favarias situm, in Rhetia Churientis pa-  
 go Churwahala, Germanicè Pseffers/ordinis D. Be-  
 nedicti, in Churienti diœcesi & Rhetia Alpibus supra Ragusum,  
 ad Camingum vel Dramingum fluuiolum, qui non procul inde  
 à Rheno excipitur, situm. Id, inquam, monachorum cœnobium  
 inchoatum & fundatum esse legitur suasu S. Pirminii, Episcopi  
 Meldensis & Abbatis primi in Augia divite, sumtibus Caroli Mar-  
 telli, sub Theoderico II. Rege Galliarum, Domino Aleman-  
 niæ, Rhetia, & Helvetiorum terræ, anno Christi 734. tenente  
 Pontificatum & consentiente Gregorio III. Is enim certus est e-  
 jus foundationis numerus. Locupletatum est postea & amplissi-  
 mis privilegiis ac immunitatibus donatum ab Imperatoribus Lu-  
 dovico, Lothario, Carolo Crasso & aliis. Habuit semper à pri-  
 ma origine ad hæc usque tempora gubernatores Abbates, quo-  
 rum catalogus, etsi varius ac mire confusus extet in ejus loci char-  
 tis, tamen adhibito variorum diplomatum consilio, in hunc or-  
 dinem non omnino inconvenientem à me redactus ac digestus est.

1. *Pirminius*, primus Abbas, Episcopus est Meldensis &  
 multorum cœnobiorum pater ac renovator.

2. *Adal-*

2. *Adalbertus.*
3. *Gribba.*
4. *Anastasius.*
5. *Adelbertus*, qui & Episcopus, sed cuius loci, nondum invenio.
6. *Luxinius.*
7. *Vincentius.*
8. *Martianus.*
9. *Bertrancius.*
10. *Crispiolus.*
11. *Asymbertus.*
12. *Cymbertus.*
13. *Sylvanus*, qui anno 840. confirmatus est *Argentinae* & accepit privilegia ab Imp. *Lothario.*
14. *Victor.*
15. *Lupicinus.*
16. *Vitalis* vixit anno 877. temporibus *Carolorum Calvi* & *Craffi.*
17. *Gebenus*, cuius mater *Immia*, mortuo marito, monialis facta est in *Katzes.*
18. *Hugo.*
19. *Salomon* à *Ramschwag*, de quo vide Episcopus nostros *Constantienses* & *Abbatibus Divitis Augiæ.*
20. *Bruningus.*
21. *Joannes* accepit privilegium à *Ludovico III. Rom. Imperatore.*
22. *Hatto.*
23. *Guerdo.*
24. *Erembrechtus* eligitur ab *Othone Imperatore* anno 949. testantibus id publicis diplomatibus.
25. *Entzelinus*, monachus *Sangallensis*, *Abbas Fabarianus* designatur anno Domini 958. ab Imperatore *Othone I. Saxone.*
26. *Majorinus* vixit ante & post annum Domini 972.
27. *Alexicus*, divitis *Augiæ* monachus, eligitur ab *Othone Imperatore* anno *Salutis* 974.

Chronologia  
 in Germania  
 S. M.

28. *Lupoldus.*

29. *Hartemannus*, Baro de Plana terra, primum ex monacho Einsidlenſi Abbas Fabarianus, poſtea ex Abbate, circa annum Chriſti 1026. Epicoſopus Churienſis deſignatus eſt, ubi multis annis præfuit, ut in Epicoſporum ejus loci catalogo videre eſt.

30. *Salomon II.* accepit privilegia Argentinae anno 1032. ab Imperatore Conrado, & iterum Argentinae ab Henrico III. anno 1040. quo valedixit mortali vitæ idem iſte Abbas Salomon.

31. *Pirthylo* ſucceſſit Salomoni. Præfuit adhuc anno 1050.

32. *Immo* conſequutus eſt privilegia Bruſſellæ, in Bruſſario Sueviæ tractu, ab Imperatore Henrico IV. anno 1060. Uni horum ſigillorum ab una ſuperficie inſcriptus eſt hic Verſiculus:

Sigillum  
Henrici  
IV.

*Roma caput mundi regit orbis frenâ rotundi.*

Alteri ſuperficie in eſt hæc inſcriptio: *in d. nigoliva 1060*

CHRISTE PROTEGE HENRICUM REGEM.

33. *Udalricus.*

34. *Hesso.*

35. *Joannes.*

Contentio inter  
Abbatem  
Fabari-  
enſem &  
Epicoſ-  
pum Ba-  
ſilienſem.

36. *Geroldus*, Widoni Churienſi Epicoſopo imprimis charus, bonus œconomus & reformator hujus cœnobii, præfuit anno 1110. & anno Domini 1115. quo de Advocatiæ jure & totius monaſterii libertatum retentione contendit contra Rudolphum, Epicoſpum Baſilienſem, Comitem Homburgenſem, qui, dato caſtro ſuo Rapoltſtein Regi Henrico IV. Advocatiâ & totum monaſterium Fabarienſe conſenſu Regis in ſuam poteſtatem redigere conabatur. Vicit autem Geroldus, qui cauſam bis per Legatum Wicramum monachum, ſemel vero per ſeipſum in propria perſona egit Romæ, apud Paſchalem II. Pont. Max. qui tribus Brevibus, ad Rudolphum Epicoſpum ſcriptis, Fabarienſis cœnobii libertatem ſtrenue ac fideliter defendit.

*Primum Breve* hoc erat: Paſchalis Epicoſopus, ſervus ſervorum Dei. Tibi, frater Rodolphe Epicoſope, præcipimus, ut locum Fabarienſem cum rebus ſuis omnino dimittas ab occupacione tua liberum & quietum: alioqui noſ te, ut ab Eccleſia alienum habebimus, donec Eccleſiæ præceptis obedias, & ab illa invaſione

sione & occupatione penitus secedas. Datum Romæ &c. Et missum per Wichramum, cui referenti negotium hoc responderat Paschalis Papa hoc vulgari versu:

*Flebile Principium, melior fortuna sequetur.*

*Secundum Breve* tale erat, missum per Abbatem Geroldum: Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. Quia pro querela fratrum Fabariensium nuper literas tibi misimus, ut ab eorum infestatione desisteres, quas te nullatenus accepisse, mirati sumus. Nos igitur pro sedis Apostolicæ mansuetudine, contentus nostri patientiam agentes, secundas ad te literas mittimus, rogantes ac præcipientes, ut ab illorum fratrum oppressionibus omnino desistas, & Fabariense cœnobium cum locis ac possessionibus suis quietum dimittas; si vero aliquam confidis te habere justitiam, ante medium proximæ Quadragesimæ, videlicet 12. Calend. Aprilis, anno ab incarnatione Domini 1115. nostræ te audientia præsentato: interim monasterii bona, quæ abstulisti, restitues.

*Tertium Breve*, eidem Episcopo Rudolpho scriptum, tale est. Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. Quoniam Regum & Imperatorum præceptis statutum est, ut Abbatia monasterii Fabariensis libera sit, nec alicui Regum vel Imperatorum liceat eam vel res ejus alienare, quamobrem nostro & fratrum nostrorum Cardinalium judicio definitum est, ut Abbatia in sua permaneat libertate. Quare, quæ per te illi ablata sunt, restituenda præcipimus. Datum Romæ.

37. *Wericimus*, aliis Wernherus, præfuit anno 1125. ante & post, usq; ad annum Christi 1127.

38. *Vicrammus*, alibi Wichramus, antea Geroldi Abbatis ad Henricum V. Imperatorem & Paschalem II. Pont. legatus & orator, eligitur in Abbatem anno 1127. Confirmatur ab Honorio II. Præfuit adhuc anno 1139.

39. *Wernerus*, aliis Henricus, invenit magnum thesaurum in clinodiis, vestibus & libris anno 1155. Accepit privilegia à Friderico Barbarossa anno Domini 1158.

40. *Rudolphus* præfuit ante & post annum Domini 1161. sub Friderico Barbarossa.

41. *Swig-*

ulcarij

Chronologia  
monasterio

S. III

11. *Swiggerus* præfuit anno 1180. quo insignis donatio facta legitur monasterio Fabariensi ab Alberto & Ludovico Sorandis, imperante Friderico I.

12. *Richardus*.

13. *Ulricus*.

14. *Sigefridus*. De his nihil invenitur in fastos relatum.

15. *Cunradus* de Zuifelthun præfuit anno Domini 1206. temporibus Philippi, Othonis IV. & Friderici II. Imperatorum. Obiit anno 1221. Ad hunc Abbatem venit nobilis quidam cœnobii ministerialis, suadens, ut Abbas, undiq; tum bellicis rumoribus ac tumultibus ingruentibus, in saxo vicino robustam aliquam arcem sibi ac suis ædificaret, in qua periculosis temporibus tutus esse posset. Abbas, tali consilio obtemperans nihilq; mali metuens, construxit maximis laboribus ac sumptibus propemodum castrum *Wartenstein*, & huic operi architectum quasi præfuit nobilem virum hujus consilii authorem. Is videns magnificentum & robustum castrum esse ædificatum, mox contra Abbatem, sublevato calcaneo, arcem illam occupat, & cœnobio sese opponens omnibus injuriarum & molestiarum generibus & Abbatem & ejus monachos afficit. Habebat tum Fabariense monasterium Advocatum, Albertum, Baronem de Saxen. Is Abbatis precibus excitatus infidiatur tamdiu *Wartensteinensis* arcis violento occupatori, donec aliquando apud *Ragusium* eum deprehensum in castrum Saxense abduceret, quem ibi incarcerationum per biennium & sex menses detinuit. Ipse vero mox eadem violentia *Wartensteinensem* arcem occupans non Advocati, sed hostis Fabariensium omnium personam & animum induit. Moritur interim Abbas *Cunradus*, in cujus locum eligitur alius Abbas.

*Wartenstein castrum, multarum contentionum fomes.*

*Albertus à Saxen, Fabariensibus injurius.*

16. Dominus *Ludovicus Wipertus* de Sangallo. In hunc jam manus etiam Albertus, Saxensis Comes, injicit, capit eum, & per septem hebdomadas in carcere castri sui Saxensis detinet, tamdiu videlicet, donec ille sese nihil amplius postulaturum pollicetur. Talibus conditionibus dimittitur è custodia Abbas. Pergit Albertus, & injuriam injuria cumulans Advocatiam cui-

dam de Falckenstein impignorat pro 70. marcis argenti puri. Paulo post moritur relinquens filios tres, Henricum, Albertum, & Ulricum Dominos de Saxen, qui ita paternam hereditatem inter se partiti sunt; ut Ulricus haberet castrum Saxense, Henricus arcem Clanzensem, Albertus verò castrum Wartenstein, in quo diu sedit & ejus possessione quietè potitus est. Interim obiit etiam Abbas Ludowicus. Eligitur in ejus locum

47. *Hugo* de Villingen annum Christi circiter 1240. de quo nihil aliud in fastos relatum est, quàm quod sub ejus gubernatione inventæ sint thermæ, de quibus postea dicam, absolutis ordine Abbatibus. Successit huic Hugoni Abbati

48. *Rudolphus* à Bernang. Hujus temporibus venit minorita quidam Bertholdus Fabarium. Is atrocissimam habens concionem contra omnis generis peccata & injurias, graviter etiam de certissima Dei vindicta loquutus ita movit animum Alberti junioris de Saxen, ut castrum certis quibusdam conditionibus Abbati sese restituere velle polliceretur. Emititaq; Rudolphus iste de Bernang anno Domini 1257. ab Alberto, Barone Saxensi ejusq; fratribus, Henrico & Ulrico, quinquaginta argenti marcis castrum Wartensteinense, quod antea ab Abbate Conrado ipsius coenobii impensis extructum erat, & quod violenter invaserant Barones Saxenses, maloq; titulo hætenus possederant. Abbate vero post numeratas Baroni pecunias possessionem arcis appetente, Albertus Baro poenitudine venditæ arcis ductus arcem se daturum negavit, nisi Abbas etiam Advocatiam, quam sese venditurum dicebat, auro redimeret & mercaretur. Coactus fuit igitur Abbas & advocatiam emere pro ducentis & quinquaginta argenti marcis. Sic & castrum & Advocatiæ jus ad Abbatem Rudolphum rediit. Hæc acta sunt anno Domini 1257. in Augia divite, præsentibus Conrado & Wernhero de Planschildt, D. Burcardo & Conrado de Zuifelhun, Abbate Rudolpho de Bernang, Henrico de Ballis, Walthero de Wallis, Henrico & Conrado de Wolfurt, Conrado de Villingen, monachis Fabariensibus, Dominis item Henrico, Burcardo & Hermanno de Walestact, Magistro Ulrico de Bernang, & Ulrico de Sargans, sacerdoti.

A a

*Therma Fabaria ne quando inventa.*

*Concionis vis in animo injuriosi possessoris.*

Chronologia  
 Fabaria  
 S. III

dotibus: Henrico de Wildenberg, Hermanno Villico, Alberto & Ludovico Schorando, Goferamo de Ems, Gundelmo Schorando, Ulrico de Castromuro, Eglolpho de Juvalt, Henrico de Ragusio, militibus. Fridericus vero Imperator, ejus nominis secundus, prædictam castri & Advocatiæ emtionem approbans, coenobium Fabariense denuo ab omni jurisdictione patronatus & Advocatiæ, seu quibuslibet subjectionis officiis universaliter exemit, & ipsum monasterium in specialem suam & imperii perpetuam defensionem suscipiens statuit & præcepit, ne quis adversus hoc monasterium deinceps unquam quicquam audeat, suscipiat aut moliat, prout literæ monasterio traditæ id ipsum copiose elucidant. Rudolphus Abbas præfuit adhuc anno 1263. Sequuntur alii Abbates, qui Rudolpho à Bernang legitime & canonicè electi successerunt.

49. *Conradus* de Wollfurt, qui præfuisse legitur anno Domini 1269. ad annum usque 1282. quo obiit.

50. *Conradus* de Kuchenberg eligitur anno 1282. Confirmatur eodem anno ab Imperatore Rudolpho Habsburgio. Erat Abbas mire hospitalis. Præfuit annis 42. Obiit anno Domini 1324.

51. *Eglolphus* de Wollfurt eligitur anno 1324. Præfuit sex annis. Obiit anno 1330.

52. *Hermannus*, Baro ab Eschenbach & Arbona, filius Henrici Baronis ex Wilbirgi matre, monachus Einsidlensis, præfuit aliquot annis Churienti Episcopatu, quem resignans ad Abbatiam Fabarianæ gubernationem est vocatus anno 1330. ubi præfuit 31. annis. Consequitur privilegia à Carolo IV. Sub ejus gubernatione grassata est pestis mirum in modum & intra & circa monasterium anno 1349. Sedatam pestem, ne sola esset calamitas hæc & incomitata, sequutum est grave incendium. Obiit Abbas Hermannus anno Domini 1361. Habuit germanam sororem Annam, Scandinensis apud Helvetios insignis & opulenti monasterii Abbatissam. Successit huic Abbati

Scandi-  
nense mo-  
nasteri-  
um.

53. *Joannes* de Mendelburen, coenobii per incendium vastati renovator. Is præfuit 25. annis. Obiit anno Christi 1386.

54. *Bur-*

54. *Burcardus* de Wollfurt eligitur anno Domini 1386. Præfuit annis 30. Accepit privilegia Heidelbergæ à Ruperto Palatino, Rom. Imp. anno 1407. Obiit anno Domini 1416. Hujus Abbatis temporibus fundatum & conditum est facellum S. Mariæ Magdalenaë in monte situm, ab Ulrico & Conrado fratribus de Wollfurt. Habuit Abbas Burcardus germanam fororem, Claram à Wollfurt, Abbatissam Lindaviensem, quæ obiit an. 1410.

55. *Wernberus* de Reitnow, natus matre Anna de Eroltzheim, quæ valedixit vitæ mortali anno Domini 1430. Eligitur anno 1416. Præfuit annis 19. Obiit anno Christianæ reparationis 1435. Calendis Junii.

56. *Guilelmus* de Mosheim, matre Anna de Waldeck natus, eligitur in Abbatem Fabarianum anno Domini 1435. Sub ejus gubernatione, nondum composito veteri bello Tigurino, pugnatum est anno Domini 1446. prope Ragusium inter Austriæ <sup>Pugna</sup> Duces & Helvetios, à quibus Austrii cæsi sunt. Præfuit Abbas <sup>Ragusia</sup> iste ad annum usq; 1449. quo emigravit ex hoc mortali seculo. <sup>ana.</sup>

57. *Fridericus* de Reitnow eligitur anno 1449. Præfuit annis 20. Valedixit hominum in terris viventium consuetudini anno salutis 1478.

58. *Joannes Bergerus* eligitur anno 1478. Præfuit annis quinque. Obiit anno Domini 1483.

59. *Georgius* de Eroltzheim præfuit sex annis. Obiit anno Domini 1489.

60. *Melchior* de Heerlingen, aliis Horningen, eligitur anno gratiæ 1489. Præfuit annis tredecim. Decessit ex hac lachrymarum valle anno 1502.

61. *Guilelmus* de Lacu, vulgo Fulach, ex Rinoviensi conventuali in Abbatem Fabarianum eligitur anno Domini 1502. Præfuit annis 15. Obiit anno 1517. Fuit optimus œconomus, qui & monasterium & arcem VVartenstein egregie decoravit, præsertim argenteis scyphis & aliis clinodiis. Cœpit extruere novam Abbatiam, quæ ab ejus successore est absoluta.

62. *Joannes Jacobus* de Ruffingen, Helvetius, ex Rapperswil natus, eligitur ex Decano in Abbatem Fabariensem in die

Chronologia  
monasterio  
S. M.

S. Benedicti anni à nato Christo 1515. Præerat adhuc laudabiliter anno Christi 1548. quo me in cœnobio suo clementer excepit. Erat enim vir humanissimus, sed admodum afflictâ valetudine præditus. Obiit postea anno sequente, thermarum ejusdem nominis insignis excultor. Habuit fratrem Georgium, Ecclesiæ custodem, qui obiit anno Domini 1540.

63. *Rudolphus Stuckhius*, patria Glareanus, vir nobilis & humanitate præditus singulari, successit evocato ex hac vita Ruffingero, unanimiter electus anno 1549. Præsides hoc adhuc curren- te Jubilæo. In hujus cœnobii vicinia, mille videlicet ab eo passibus, sunt intra altissimas superioris Rheticiæ & perpetuis nivibus obrutas Alpes, montem videlicet Lunæ, Galandam & Vettersburgum, in angustissimis, abstrusissimusq; & tantum non avern- alibus Alpium faucibus ( quibus insidentes æstivalis solstitii tempore Solem per unius tantum horæ spatium medio die conspicuum habent) nobilissimæ ac saluberrimæ Thermæ Fabarienses, per quas Camingius rapidissimus torrens (quem accolæ vulgo den *Dramingenbach* vocant) magno impetu, murmure verò ac fragore tanto decidit, ut in ipsis Thermis sedens vix illum etiam (qui proxime tibi assidet) clarissima voce loquentem audire possis. Est torrens ille terminus ditionis Rhetorum, Advocatiæ Sargansensis & Septipagensium Helveticorum. Oritur in Calvesia una Rheticiæ Alpium ad induratas summarum Alpium nives, quas Glessum, vulgo *Gletscher* / vocant. Per fluit Vertisium, pagum Abbatis Fabariensis, ac Domini Joannis de Marmoribus, Domini in Rhetio. Desluit inde maximo fragore per aspera & terribilia loca, profundissimas videlicet & sub ipsis Thermis etiam positas Alpium angustias, in quas Thermæ ipsæ ad pedem & radices ferè ejus montis (qui lunari jugo contiguus est) scaturientes sese exonerant. Postea Ragusium Abbatis Fabariensis & Septipagensium Helvetiorum pagum perfluens, è regione Maienfeldi præclaræ civitatulæ Rheno infunditur. Has Thermas anno Christi 1242. temporibus videlicet Imperatoris Frederici II. à venatore quodam, cui *Aucupi* nomen erat, inventas, & natura calidam aquam, eandemq; pellucidam, purissimam, hu- mano-

*Thermæ  
Fabarienses.  
Camingius torrens.*

manoque gustui maxime delectabilem habentes, ex auri & cupri venis defluere animadversum est. Scripsit de harum natura celebris medicus, Theophrastus Paracelsus.

Aqua earum reciproca est, quae semper in Octobri deficere & evanescere, & per hiemem veluti mortua esse, in Majo vero copiosissima redire solet, ita, ut si in plano aliquo loco Thermae sitae essent, eodem quidem tempore duobus hominum millibus sufficerent, tanta est aquarum copia, tanta abundantia, tanta ubertas. Descensus est summitate terrae ad ipsas Thermas per partim pendentes & monti applicatas, partim vero saxo incisas scaldas difficillimus & inaccessibilis pene est ac ita terribilis, ut audacissimo etiam homini metum & horrorem incutiat. Ascensus vero & reditus paulo facilior est, & à me numeratus mille habet & quadringentos passus in summam usque planiciem. Sunt in his ipsis profluentium Thermarum cavernis tria tuguria ab Abbatibus constructa, quae lavantibus commoda hospitia praebent. Haec hiberno tempore à nemine habitari solent: ad ea aestivo tempore necessarius victus ab hospitem servis deportatur, qui balneatos trepidantes suis etiam humeris subinde è summo in imum usque scaphium, & inde iterum in summum bajulare solent. Primus descensus fuit longe difficilior, quia magis praecipuus & idcirco longe periculosissimus, ad quem pervenientes (qui è longinquis locis lavandi studio accesserant) ita saepe metu percussi trepidabant, ut etiam non loti abire potius vellent, quam ita periculoso & quasi irremeabili descensui sese committere. Nunc Abbatum Fabariensium cura & sumptibus duplex descensus per varias ambages montibus incisus est, sed uterque tamen horribilis & difficillimus. Lavantium vero in his Thermis multi abeunt, qui nulla lectisternia contingentes continue & sine intermissione balneant, donec praescriptum sibi à medicis terminum absolverint. Balnea vel lavacra monti incisa tria sunt, inter quae quod amplissimum est, sexaginta fortassis hominum capax, in medio duarum ferme orgyjarum profunditatis gurgitem seu fontem habet, in quem vidi virum sese praecipitem demittere, qui mirabilem loci naturam mihi homini peregrino ostensus

Reciproca aqua Thermarum Fabariensium.

Chronologia  
 Thermae  
 Fabariensium  
 S. III



rus ex imo ejus fundo gelidissimam aquam afferebat, mihiq; & aliis illam bibendam porrigebat. Hæc balnea singulis diebus purgari, & per imbrices & canales in subterfluentem Camingium exonerari, moxque iterum in usum lavantium impleri possunt. *Nobilitas que vera.* Descripsi has Thermas prolixo carmine in gratiam Abbatis, qui ea ipsa ætate, qua ego eas vidi, ipsis præsidebat, vir nobili quidem apud Helvetios genere natus, sed qui se nobilem esse ipse non credidit, nisi humanitate etiam ac beneficentia erga omnium ordinum homines, hospitalitate erga advenas, liberalitate erga doctos, aliisque bonis virtutibus, vera nimirum nobilitate (quæ in animi bonis consistit) insignem sese esse, omnibus bonis re ipsa testaretur. Prolixum carmen de his Thermis scriptum alibi aliquando prodibit. In gratiam vero doctissimi viri, Doctoris Achillis Pirminii Gassari, medici Augustani, hospitis mei in ea augustissima urbe longe benignissimi, tale aliquando de his ipsis Thermis lusi epigramma ænigmaticon, quod pio lectori hic communicandum censui:

*Ænigma.*

*Dic, quibus in terris (Et sacra ornabere lauro)  
Ocipedem Phœbo cancrum repente, coloni  
Efficiant calidas accensis ignibus ades,  
Sole alibi populis nigrum inducente colorem,  
Aut ubi candele adlucentis lampada cœnent.  
Rursus at hiberno sub frigore nullius ignis  
Plane utantur ope, perq; unam splendeat horam  
Solubi vix, licet ipse dies longissimus extet.  
Hanc terram si dixeris aut monstra veris, ipsus  
Tu mihi Phœbus eris, tu Phyllida solus habeto.*

*Solutio:*

*Fabarianarum domus hæc est infima, nempe  
Thermarum in Rhetis, veteris supra ardua Maje  
Mœnia, non procul à Germani flumine Rheni,  
Lunæ inter sublime jugum ni vibusq; Galandam  
Perpetuis tectum, peregrina ubi turba lavare  
Se solet ad versus scabiem morbosq; futuros:*

*Æstivo*

*Æstivo sub Sole, locis in tartara pene  
 Detrusis Acherontia, sole carentibus omnia  
 Hiberno redeunte gelu discedit Sunda,  
 Disceditq; suam quisq; advenarursus ad urbem.*

**FONS SALUTIS**, vulgo *Heilsbrunn* / Cisterciensium ordi-  
 nis & instituti magnificentissimum opulentissimumq; cœno-  
 bium, ad Schwabachium amnem, medio fere itinere inter Nori-  
 bergam urbem Imperialem & Onoldisbachium civitatem Co-  
 mitum olim Oetingensium, nunc vero Brandenburgensium Mar-  
 chionum situm, fundatum est anno Christi 1132. ab Othone,  
 Comite Andecensi, octavo Episcopo Bambergensi, & à Raba-  
 thone ac Conrado, Comitibus de Abenberg, horumq; uxoribus,  
 Mechtilde & Sophia, imperante Lothario Saxone, quo tempo-  
 re plurima in Germaniis monasteria à diversis regulis, Principi-  
 bus ac Episcopis extructa & erecta sunt. De hac fundatione ex-  
 tant in ejus cœnobii magnifico sane templo hodie adhuc tales  
 Versiculi:

*Hec domus Othonem colit & Comitem Rapathonem:  
 Præsul fundavit, Comes hanc opibus eumula vit.  
 Qui Comes Abenberg fuit hic præsul quoq; Bamberg.  
 His jungas Comitem Dominum Conrad juniorem,  
 Mechtildin socia, conjugaturq; Sophia.  
 Post M.C. Chrifte triginta duos locus iste  
 Annos fundatur, Heilsbrunn qui rite vocatur,  
 Virginis atq; piæ matris sub honore Mariæ,  
 Ac Sancti Jacobi, qui Major vel Zebedei.  
 Da veniam cunctis, Deus, hic requie tibi sanctis.*

Fuit eo ipso in loco (antequam cœnobium ædificaretur) pa-  
 gus *Sagelsbrunn* / quasi fons grandinis dictus. Id nomen post-  
 ea è fundatoribus ob insignem ejus loci uberium fontium salu-  
 britatem in melius immutatum est. Habuit hoc cœnobium an-  
 tiquitus fratres etiam Conversos, laicos, quos à barbīs, quas ge-  
 rebant illi, tota vicinia *Bertlingas* vocabat. Hi quosvis suspen-  
 sio tollendi (quos aliquid mali commississe sciebant) jus ac po-  
 g. *Bertlin-*  
 testa.

*Chronologia  
 Monasterio  
 in Germania  
 S. M.*